



2b. 15



57.
60

MAGNIFICUS ACAD. FRANCOF:
RECTOR
CHRISTOPHORUS
PELARGUS
SS. Theol. D. ac Prof. P. Facul-
tatis itidem Senior ac DECANUS, Mar-
chiae Superattendens & Pastor Ecclesiae
Francof.

ad iusta exequiarum
Ornatissimo & Doctissimo
Juveni

DN. LAURENTIO HAUBMERO,
Turschenreutensi Palatino, Theologiae Studioso
industrio, popularibus instruentibus
solvenda

Cives Academicos omnes ac
singulos vocat & invitat.

TYPIS
HARTMANNIANIS
A. C.

CL. MD. CXXIV.
V. Cal. Sextil.

27

LECTOR
CHRISTOPHORUS
P. Theol. D. ac Prof. P. Facult.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.

CHRISTOPHORUS
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.

H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.

H. A. M. M. A. N. S. M. A.
H. A. M. M. A. N. S. M. A.





*Stro felici nascitur; feliciori vi-
vit; felicissimo vitâ exit; huma-
nam qui vitam, non vitam, sed
vitâ, eorumq; quæ cum vitâ no-
bis donantur & ad vitam, ad-
ministrationem & dispensatio-
tionem esse ex vitâ suâ Auctore
& Magistro JESU patulâ hau-
sit aure ac fideli pectore condidit. Ingreditur is vitam,
non ut regnum, sed ut villam, non ut domum, sed ut
hospitium; non ut fundum, sed ut feudum: Vivit is vi-
tam & administrat, non ut peculium, sed ut usufrus
ctuarium; non ut proprium, sed ut concessum: exit is
vitâ, non ut palatio, sed ut nido, non ut arce, sed ut
umbra, non ut habitaculo, sed ut pandocheo. Ingres-
sum, non venisse se, sed emissura in vitam cogitat, ne-
que exeundum, donec Imperator jusserit: non venisse
se cum agellis, cum talentis, non venisse se armatum,
non indutum, sed latifundia, thesauros, arma, vesti-
menta, sceptrâ, invenisse, adeoque hæc successori re-
linquenda esse facile concludit, planè ut prædium
à parente ad filios, ab his iterum ad seros nepotes he-
redesve, donec domini plures quam glebæ numeren-
tur, transmittitur. Quamdiu moratur in vita, non ut
dominum se gerit, sed ut ministrum, ut quæstorem, ut
tribunum; non quæ sua sunt quærit, sed quæ Domini,
non ex arbitrio moderatur omnia, voluntatemque
pro lege habet, sed Domini se regulis subjicit, ejus ta-
bular ante oculos habet, quæ dicit, quæ facit, quæ
con-*

contrahit, quæ lucratur, quæ colit, quæ plantat, quæ
merit, quæ regit, quæ jubet, sic expedit universa, ac si
assistet, aut mox interventurus sit Dominus, nunc
otacustas timet, Regias aures & Imperatoris oculos,
nunc excursorem, nunc corycæum metuit, modò via-
torem expectat, nunc ostium crepare, nunc maculus
pultare, nunc vestigia, nunc vox Domini obstrepere
videtur: proinde ungues mordet, calculos ponit, sub-
ducit, consummat, codicem sollicitè comparat, clau-
dit, aperit, aperit, claudit, Patrisque familias manibus
exponit, noctes diesque voce, vigilantis, somniantis,
aures animumque pervagante: *Redde, redde rationem co-
rum quæ data, redde ei qui subdidit, Domino.*

*Tandem ubi vocatur ad abacum non tergiver satur, nō
moras nectit, non quarit di verticula, non deserit va-
dimonia, prestō est; nec tum aut pallor, aut tremor, aut
sudor, aut lippitudo aut vertigo eū corripit; non linit,
non radit, non fumum vendit, non queritur, non mi-
natur, non litigat, non maledicit, nō fugit, non dicam
scribit, verbo non poscit, sed edit rationes; Domine, ait,
reddo: tu dedisti ut redderem, te dante, te postulante
reddo: & si Domino collubitum fuerit, eum dimitte-
re, aut ex hujus vitæ dispensatione q. loco movere,
clavesque alteri tradere, non indignatur, nō suspirat,
nō respectat ad vineas, hortos, piscinas, domos, lustra,
jugera, boves, caballos, supellectilia, & quæ diutina
familiaritate amorem furata, herilem quandam arro-
gantiam ingeneraverant; non inhæret arculis, nō au-
rum volutat, non morsicat argentum, non quoquo-
versum raptatus, *quid faciam*, anxie ingeminat: sed pla-
cidè, *faciam*, inquit, Domine; & sic rei solerter admini-
stratæ fideique servatæ coronam, gratiæ divinæ lacer-
tis*

tis plexam, lætus sumit, eaque statu longè beatorum, æ-
ternam perfruitur. O felicitatem eloquio imparem! O beati-
tatem omni mentis indagine altiozem, quæ illi maclantur soli,
qui vita, cum datur, cum vivitur, cum deseritur, prohi dispensa-
tores sunt!

Secutus eum felicitatis tramitem, imò eam ipsam
coelesti favore affecutus est ingenio & doctrinâ poli-
tissimus Juvenis, *Laurentius Haubmerus*: quem *Parens co-*
gnominis, *Consul Turschenreutensis*, in superiori Palatina-
tu, Vir prudentissimus, A. D. supra millesimum sex-
centefimum tertio ex se & *Catharina Spitzlina*, foemina
honestissima genitum, cum ab infante, Deo, pietati &
bonis literis emancipasset, suumque hoc pignus con-
creditum, ei qui dederat, dedicasset, ipse benignam
ingenii venam bene collocavit, atque præeunte Viro
Clarissimo Dn. *Johanne Pfretschnero*, Med. Doctore,
Scholæque patriæ Moderatore, brevi eos fecit in ar-
tium incunabulis profectus, ut Electorali stipendio,
quod *Ambergæ Phæbeis* constitutum est militibus,
afficeretur, ubi postquam biennium curatissima
Dn. *Christiani Becmanni*, Philologi excellentissimi, in-
stitutione esset usus, ad nos sese contulit. Nec facere
quidem aliter potuit, quando & Antichristi satelliti-
bus, provinciam eam instar cicadarum occupantibus,
exautorarentur orthodoxias alumni; nec quorsum
iretur, ferme superesset præter hanc nostram Acade-
miam, ad quam, ut cucumerariû in vineto residuum,
hactenus vexatissimis exturbati regionibus, conflu-
xerunt. Receptus, in Theologorum sacraia admissus,
tandem etiam, cum plusquam annum diligentia
specimen edidisset, qui Palatino beneficio hostiliter
exclusus erat, Brandenburgico ante semestre liberali-

ter auctus est. Verum ubi jam pristinae quadantenus fortunae restitutus videbatur, invaletudo eum infestare, & officio quidem suo deesse iliorum illud involucrum coepit, modo enim illa aegre emittere, modo effoeminate retinere, atque ab aliquot jam mensibus hominem cruciare: donec ruptis velut aggeribus V. Non. Quintil. exundarent, exulcerarentur, sanguinarent, totumque adeo corpus febris putrida inflammaretur. Ille interea uti cum sanus erat, mentem in libros tanquam rationem quo vis momento redditurus: ita infirmus, oculos in astra, conterranei vero & consalaneici manus in curationem defixas habebant. Arctius aliquando tetigit fores morbus apparitor, aliquando & subducere se visus est, quasi remediorum amuletis deterritus, ita ut noster LAURENTIUS nunc de rationibus, nunc de laboribus vicissatim cogitaret, de invivendis etiam Academiis aliis ad parentes, paulo ante discessum, scriptitaret, sed simulando ac dissimulando illudit nuntius, sensimque vires debilitavit, fregit, exhaustit. Noster itaque cautus tanquam in specula attendere, exitus signum ac tesseram praestolari, debita peccatorum, Salvatoris merito solvere, censurae aleam supplici voto deprecari, terrenorum omnium quibus praerat, quibus intererat curam abjicere, & tandem ad citationem peremptoriam, inter ipsas meditationes evangelici prophonematis, quas dies ille Dominicus comodum suggerebat: *redderationem*: ardentissimumque cum Deo sub precibus colloquium, & intercessiones fraternas condiscipulorum, animam, vitam & quaecunque a Domino acceperat, Domino in manus placidissime VIII. Cal. Sextil. h. 11. pomeridiana, resignavit, abyssum divinae misericordiae in lucro ponens, quae
sic

sic ipsum affata & intimè complexa est : *Euge serve bone
& fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Hæc ubi legitis aut auditis *Parentes Optimi*, coerce-
te lacrymarum imbres, luctum refrenate, nec præter
humanum, præter Christianum, filio accidisse vestro
contendite. Ad rationem vocatus est, eam cōfecit, re-
tulit: nil nisi quod omitti non poterat, egit. Oecono-
mi sumus omnes unius Domini; hodie ex famulatio
filium, cras patrem, hodiè adolescentem, cras silicer-
nium, hodie me, cras te evocare, penes ipsum, non pe-
nes nos est: gaudet amicus ubi amici codici subscriptū
videt, neq; se præventum tristatur, si amicus est. Ma-
gno dispensationis onere sublevati estis, vestrū bene
educastis natum, ad rationem informastis, duxistis:
reddidit, nolite de cætero esse solliciti: reddidit & ho-
nestè imò beatè reddidit. Rationes silentium amant &
quietem; huc delatus eam invenit LAURENTIUS ve-
ster; quàm rācilè, cogitate, sicut Hispanica hos confun-
dere calculos, quàm facilè idolomania incumbēs ad-
alterare eos potuisset. Novit Deus ubi mensam po-
nat, novit ille, nostrū nemo ubi nostra in hoc univer-
sali Germaniæ exilio ponenda sit, nemo novit.

Vos vero *Cives Academici*, hodierna die omnes ac sin-
gulos iterū sandapila inclamat: *dispensatores estis; explo-
ratoribus circumcingimini, adeste: ratio reddenda est.* Nec ad
hanc dispensationem vestram, aut vestrū aut vivorum
tantum curam pertinere arbitremini, ipsos etiam de-
functos cōplectitur. Hic ostendendū vobis inquilini,
quanti peregrinos, vobis cives, quanti exules, vobis
ceterarum nationum, quanti Palatinos vestros, vobis
omnibus quanti fratres faciatis vestros; imò demon-
strabitis *hodie h. XII. in publico Collegii teatro* quanto pe-
re,

re vivum exoscultati sitis, quem ad conditorium comi-
taturi estis: præfectum cuius approbata ratio est, non
Dominus ornat solum, sed & ministri honorant, & cur
non Comilitonis vestri honorificè habeatis exuvias?
Quæstores illi vulturii, in quos dictum quadrat *ταυλά*
λαυλά: quàm averfantur rationum mentionem! at fru-
gi dispensatores ex aliorum industriâ suam exacuunt,
vigilantiam & fidem statuminant, nihilque audiunt
libentius quam rationes reposci. Lycurgum memo-
rant jam fato vicinum, se ad senatum in Deum Matris
templum curasse deferri, quò rerum à se in republ. ge-
starum pro palam rationem redderet: Scipionem verò
Africanum à Petilliis ac Nævio Tribunis plebis repe-
tundarum accusatum, etiam librum rationum in con-
spectu populi scidisse, indignatum ea de re dubitari
quæ sub ipso legato administrata fuerat. quæ ista inte-
gritas, dicamus an cōfidentia? Ecquis id hodie in lon-
gè minoribus (de salutis negotio nunc sermo nobis
non est) feliciter aufit? Turpe est Christianos à Paga-
nis in ruborem dari. Quod nos jubemur hodie, id sibi
faciendum & gentiles sunt rati: ita enim Cic. 11. in Verr.
Semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur.
Vos Celestes longè gravior, imò fulmen Domini ve-
stri urget: *Redde rationem villicationis tue.* Reddideritis
inculpate, quibus *nasci ad servitium obligari, vivere*
administrare, mori rationem erit reddere. Sic feliciter
vivetis, bene valebitis, æternumque gaudebitis.

T. M.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

V017

MC








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



D. FRANCOF.

OR

HORUS
US

rof. P. Facul.

E CANUS, Mar-
Pastor Ecclesie

arum
doctissimo

HAUBMERO,
Theologiae Studio
instruentibus

OS omnes ac
invitat.

NIANIS

XXIV.

til,

57.
60

